



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XIII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS XIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. I. lib. Exodi, in quo describitur Israëlitarum post mortem
Joseph auctus numerus, Tyrannis regia in eos exercita.

Considera:

QUOD quamdiu in Ægypto vixerit Joseph, filii Israël N.78.
non creverint, creverint autem illò mortuò; ita
quamdiu vivat in homine proprius amor, tam-
diu anima maneat sterilis, nullos meritorum fructus parturiens; illò
autem extinctò nascatur talium ingens copia. Confirmat hoc Si-
mon de Cass. lib. 8. cap. 21. asserens: *Quamdiu amor proprius regnat, ab-
stinencias & vigiliis execramus, fugimus labores, præter illos, qui vergunt in pro-
prium bonum. Obedientia sit oculata, & quisque sibi sessor & equus, Judex &
advocatus est &c.* Viderat olim Joannes Apocal. 13. de mari ascen-
dentem bestiam, septem capitibus armatam. Hæc teste Bernardinò
senens. tom. 1. serm. 5. Similis est amori proprio: is enim ascendit
de mari, quia amara refugit: habet septem capita, quia septem pec-
cata capitalia ex eo pullulant; unde enim superbia, avaritiâ, Luxu-
ria &c. nisi ex amore proprio suam trahunt originem? extingue
amorem proprium, Herculem erga Hydram egisti, amputandò ei
omnia capita. Atque sicut corruptio unius est generatio alterius, ita
extinctus huius proprii amoris filiabus, orientur contrariæ virtutes, il-
lis directè oppositæ. B. Angela de Fulgino amorem proprium ipsò
magis Dæmone fugiendum esse credidit, utpote audita dicere: quòd
ille mentem humanam omnî gladiò ancipiti penetrabiliùs affligat, &
non coercitus animam millenis calamitatibus invadat. Sicut vul-
pecula mortuam se fingens, ut gallinæ potiatur, canis latratum
imitatur, habenda pro fideli custode pecoris, & non pro hoste:
ita amor proprius affectus tuos tegere consuevit, & speciosam pieta-
tis larvam mentiri. Quare Sponsa cantic. cap. 2. exclamat: *Capite
nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Parvulas vocat, quia etsi
grandiores sint passionés, sub amore proprio latentes; parvulas se
tamen fingunt, ut eò faciliùs sibi accessum præparent ad rapiendas ex
N anima

anima virtutes. Noverat hoc S. Franciscus Sales. & hinc adeò omnem sui commodi rationem neglexit, ut teste ejus vitâ lib. 4. c. 5. diceret: si vel levem aliquam amoris proprii partem in corde suo sciret residuam, illicò eam ferrò flammâque persecuturus esset. O quàm raros reperiri est homines, etiam illorum in numero, qui cæteris exactiùs divinis obtemperant mandatis; raros inquam reperire est, ac penè nullos, qui regium vatem imitati, exclamare ausint, ac contestari: *Quid mihi est in Cælo? aut à te quid volui super terram? - - Deus cordis mei & Deus meus?* intersunt divinis officiis frequentur, magnâ cum devotione suas peragunt preces: at non eò solùm sine, ut soli placeant Deo, sed ut placeant pariter intuentium oculis. Multi ad nutum obediunt imperantium vocibus, non currunt, sed volant, ut exsequantur, quod imperatum est: at quis pedibus alas addit, nisi poenæ timor, confusionis horror, disgratiæ terror? multi Pharisæum imitati, jejuniis & vigiliis macerant corpus: at formant intentionem, quam formaverat Pharisæus: ut videlicet visi ab hominibus, sint ipsis admirationi, sibi laudi. Martia, Romanarum Matronarum Decus, cum præmaturâ morte charissimum perdidisset conjugem, & ipsa juvenis vidua tum formâ tum opibus floreret, à nobilissimis juvenibus ad nuptias invitata, vitili constantiâ eas recusavit, quærentibus reponens: *Quia mea, non me omnes isti quærunt.* Idem pro dolor! Deus, super omnia amandus, jure conqueritur de multis, qui sibi blandiuntur de singulari in eum amore; cum tamen dona Dei potiùs, quàm ipsum quærant Deum, amore proprio excæcati. Talibus meritò objicit Christus verba, jam pridem aliis objecta ejusdem farinae hominibus Joan. 6. *Queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* O Christiane lector! quære etiam ex te, quòmodò, & quò fine tuis in actionibus, quæ sacræ, quæ profanæ, & ex objecto indifferentibus quæras, Christum? annon reperis recurvum ad vanam gloriâ, ad corporis comoditates, ad animi oblectamenta affectum? annon instar Giezi, Naaman sequentis, post Christum curris, exclamans, si non ore, saltem corde 4. Reg. 5. *Curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Annon illum colis instar turbæ illius Lucæ 7. viduam sequentis, eâ tantùm de causa, ut ait Sylv. Quòd aliquid commodi ab ea sperare possent tanquam à divite? ne ergo instar ferri, à rubigine pereuntis, pereas ab amore proprio, quem tuo in sinu foves, illum penitus ejice. Sicut Israëlita,

lita,

litæ, quô durius post mortem Josephi fuerunt habiti à Pharaone, eò magis creverant copiâ hominum, & virium robore: Ità quô magis expellere niteris per mortificationem amorem proprium, eo copiosior eris in virtutibus & actibus bonis.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. Exodi, in quo describitur adoptio Moysis, in flumen projecti, fugaque ejus.

Considera: **C**hristianum hominem, ut soli placeat Deo, gerere se *N. 79.* debere erga actus virtutum, & opera bona, quæ peragit, qualiter se mater Moysis gessit erga sum neonatum infantem: siquidem illum tamdiu hominum conspectui subduxit, absconditumque retinuit, quandiu valuit. Ut verò tandem coacta est, eum publico exponere flumini, fiscellam omnî meliori modò paravit, ut eò minus damni pateretur à rapacibus undis. Verba S. Scripturæ sunt versu 3. cit. capitis: *Sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum.* Haud secus oportet opera bona, quæ nostri partus sunt per gratiam divinam obtenti, tandiu conspectui hominum subtrahere, quamdiu obedientia aut causa gravis non jubet ea pandi. Hâc autem datâ, ut opera in publicum educta defendantur ab aquis vanæ gloriæ & laudis, omnî studiò vigilandum est. Taliter vigilavit S. Petrus Actorum 3. tunc temporis occurrebat ingens populi turba, grande Miraculum ab Apostolo patratum, spectatura: hoc, ut vidit Petrus, contra vanæ laudis procellas fiscellam composuit, hîsce verbis constantem: *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham &c.* Quasi diceret: oculos amovete à nostris factis, atque in solum Deum eorundem authorem convertite. Prodigium cernitis, in eo admiramini divinam potentiam, laudate Bonitatem. Regius vates, ut actus suos laude planè dignissimos, laudibus hominum subtraheret, fortissimum eis opposuit scutum Psal. 117. cantans: *Fortitudo & laus mea Dominus.* De S. Dominico Prædicatorum Fundatore, vanæ gloriæ osore maximo, legitur in vita ejus lib. 4. c. 10. quòd postquam sacrâ eloquentiâ copiosissimam animarum messem collegisset, & hinc omnium ora invitus in sui laudem commovisset

visset, fugæ se dedit, relinquendô locum, tot miris illustratum concionibûs. Interrogatus autem fugæ causam? responso dedit: quia plures me ibi honorabant, hîc verò omnes me impugnant. Loquebatur de Hæreticis, in quos inciderat, acerrimè à se impugnatos. Ingeniosa est, & nostro accommoda proposito Glossæ Speculatio in caput 2. Matthæi asserentis: Tres Reges Christum adoraturos, thesaurum, quem publica vehebant in via non aperuisse, priusquàm stabuli subiissent tectum: ut eorum exemplô discerent Christiani, actus virtutum affectu saltem occultare, ut eos Theauri instar cælo acceptissimi in conspectu solius Dei exponant. Et verò quis nisi malè sanus quærit gloriam humanam? dum illa præter hoc, quòd Deo soli debitam laudem iniquè rapiat, tam instabilis est? Ecce enim Moyses laudatus à tota Aula Pharaonis, & ob insignem pulchritudinem summam in æstimatione habitus, insperatò cogitur exulem agere propter homicidium à se perpetratum. Sicut affluxum maris paulò post insequitur refluxus, sic gloriam & laudem, quam operibûs nostris apud homines adepti sumus, sequitur vituperium. Historici de subterraneis lampadibus scribentes referunt: quasdam earum per plures annos absconditas arsisse, & luxisse semper: at verò vel modicò auræ afflatu penitus extinctas esse. Idem de vana gloria & laude in mundo obtenta, non incongruè dixeris. Luxerit illa plurimîs annis lampadis instar, vagata per integras regiones, decantata per omnium linguas: unicò sinistrae sortis vel invidi oris afflatu aut omninò periit, aut in infamiam abiit. Jerosolymam cogita, in quas laudes eruperint tot Judæorum Christo acclamantium ora: sed quàm brevi in alias voces mutata audies quando Salvatorem tuum ad subeundum crucis supplicium iniquè damnatum, comitaberis per urbem: O quàm citò illud gloriosum *Osanna* transiit in maledictum *crucifige*. Dic ergo cum Chrysost. homil. 46. in Acta Apostol. scribente: *Nobis igitur cura non sit quid multi sentiant, neque ultra, quam oporteat de gloria simus solliciti. Deo vivimus, non hominibus; in Cælo cives sumus, non super terram: illic præmia & bravia nostrorum laborum jacent: illic expectamus laudes, illic coronas: eatenus curemus homines, ne illis offendiculo & damno simus.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex capite 3. lib, Exodi, in quo describitur Visio Rubi, Missio Moysis &c.

Considera : **Q**uomodo Deus per Moysen Israëlitas è servitute ty- N.80.
 rannica liberaturus, apparuerit in flammâ ignis, ut
 sic doceat : quòd igneò Zelò ipsum oporteat præluce-
 re suis subdi-
 tis, & exemplo esse Christianis superioribus, quibus hominum cu-
 ram commisit Deus, ut eò instigati & ipsi parè ardeant zelò. *Nihil*
frigidius Doctore, qui verbis tandummodo philosophatur, ait S. Chrysost. hom.
13. in acta. Neque hoc Doctoris est, sed historionis & hypocryta, adeoque prius
vite exemplò docebunt, deinde verbis &c. Doctoris autem nomine quilibet
 intelligi poterit superior, utpote cujus non tantum est imperare
 subditis, sed eos quâ verbò, quâ factò erudire. *Si oculus tuus simplex*
fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, asserit ipsa veritas æterna Christus
 Matth. 6. Quod autem in homine oculus, hoc est in Republica, com-
 munitate aut domo superior : ex hujus vita si reluceat pietas, si
 splendeat justitia, si scintillet morum honestas, si radios spargat casti-
 tas, & ardeat in ea charitas, non disparem ardorem in subditis da-
 bitur reperire. Nyssenus subtili indagine quærit : cur ad Nuptias Ev-
 angelicas Rex miserit servos suos, ad operarios autem conducen-
 dos ipse præierit? & respondens ait : ad nuptias utpote ad rem genio
 hominum acceptam, nullò motivò fortiori aut exemplò speciali
 opus esse, secus verò in invitando ad labores, & sudores : atque hinc
 ipsius Domini operâ opus exstitisse, quâ ceu stimulò efficacissimò
 permotti irent ad vineas, & laborem in eis sustinendum. Alexander
 Macedo teste Curtiò lib. 5. c. 14. interiorem Persidem penetraturus,
 cum ad viam nivibus obsitam geluque constrictam pervenisset, ab
 eaque ineunda fatigatum militem cereret abhorrere, ex equo pro-
 tinus descendit, primusque sibi dolabrâ paravit semitam, quò factò
 milites animati, celerè passu vestigia Regis insecuti sunt. Planè si-
 cut equus etiam naturâ piger ab alio prætervolante ad celerem se-
 quelam excitatur, ita homo etsi in via mandatorum Dei acediosum
 se monstret, fervidi tamen superioris exemplò ad cursum celerem
 instigatur : peracutè notat Origenes : Seraphinum solius Prophetæ La-
 bia mundasse, etsi populus abundaret labiis undequaquè pollutis :

Seraphin mundavit labia Propheta non mundavit labia populi, ait præfatus Doctor. q. d. suffecisse: mundata fuisse sola labia Prophetæ, utpote quarum mundities tanquam à superiore deflueret in inferiores, tanquam à capite in membra, tanquam à fonte in flumen. Hinc pariter notat Bernardus in cantica: Solam Sponsam introductam esse in Cellaria, sed solam non exinde lætitiā hausisse, dum facer subnectat textus: Exultavimus, & letabimur memores uberum tuorum. Indicari videlicet per hæc verba: profectum Prælati esse totius pariter populi utilitatem, & id quod bonis actibus acquirat ipse, esse omnium subditorum. Audiantur formalia Bernardi Serm. 23. in cant. Sola introducta videor, sed soli non proderit, vestrum omnium est meus omnis profectus. Vide nunc Christiane superior, quomodo hætenus erga tibi subditos, tuoque regimini commissos te gesseris, quos oportebat instar Moysis ex Agypto vitiorum ad Chanaan virtutum educere zelo igneo, qualem in Moysse requirebat DEUS? ò quantis honorum actuum flammis lucerent illi, si tu præluxisses, qui modò toti frigent, vitis in te visis seducti? sicut exemplari unò apud typographos vitiatò, omnes libri juxta illud impressi prodeunt, eisdem erroribus infecti, ita unius superioris offendiculum, totius populi fit peccatum. Cancer marinus, cum prolem suam in littore vidisset, tam distortis gressibus incedentem, & hinc imperaret, ut rectà posthac incederet, audiit à prole: Pater precede, & mox sequetur filius: Ex fabula hac discite obliquos mali exempli in te notati incessus subditorum quoque à via virtutis aberrantium, aut in ea obliquè incedentium causam existisse; facti ergò pœnitens dic cum Moysse, Israëlitas alloquente v. 18. hujus cap. Ibinus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino. O subditi! me præduce ineamus primò viam purgativam, pœnitendò de perpetratis hætenus peccatis; deinde ineundò viam illuminativam sectemur virtutes, & mediantibus istis pergamus ad unionem cum DEO, ut simus gratissima amoris victima.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 4. lib. Exodi, in quo describitur mira Versio Virgæ Moysis in colubrum, lepra manus, & querela de lingua balbutiente.

N.81. Considera 1. **P**ER Virgam Moysis in colubrum versam, dari documentum superioribus, ad gubernandos alios destinatis, ut non

non tantum verbis, sed quantoque etiam verberibus regnent, utendo virgâ ad castigandos retragos, nisi velint, suam clementiam sibi verti in colubrum peccati, à quo afflati, æternum aliquando cum subditis pereant. *Virga directionis Virga Regni tui.* Se, omnesque superiores adhortatur regius Vates Psal. 44. Virgâ autem debite non utitur, qui illam in terram projicit, non plectendo vitia. *Ecce! constitui te super gentes & regna,* apud Jeremiam cap. 1. Alloquitur superiores Deus. At quò aliò fine? nisi: *ut evellas & destrues.* Sarculò opus est, ut ager rite colatur. Magistratui aut Prælaturæ nemo prælidet dignè, qui Chirurgiæ ignarus est, aut hujus officio non satisfacit. At quid Chirurgum facere oportet: nisi cauterium adhibere membris languidis? licet interim clamet, ejulet, obstrepet ægrotus. Quando superior cum Moyse *manum mittit in sinum,* impunitum relinquens peccatum subditis eandem nonnisi *leprâ* peccati infectam retrahit, e contra si eam extendit in vindictam, discretò modò peragendam, audit Encomium illud Exodi 32. *Consecratis manus vestras hodie Domino.* Tale Encomium merebatur vir quidam, nobilis stemate, sed nobilior Justitiâ, is, ut refert discipulus in prompt. Litt. I. exemp. 38. gravè detentus morbò; cum in proxima camera audiret fœmineum clamorem, quærebat ocius: quid rerum ageretur ibi? cumque intellexisset: nepotem ex sorore ejus natum, pudori cujusdam fœminæ violentas inferre manus non erubuisse, advocatis ad se aliquot militibus imperat: in debitam tanti sceleris vindictam nepotem suum illicò suspendant. Milites imperium avunculi indicant juveni, jubentque, si vitæ suæ consulere velit, aspectui cognati sui se illicò subtrahat: reduces dein ad Judicem Herum fingunt: se mandatis morem gessisse. Juvenis elapsis aliquot diebus cognati iram eferuisse ratus: illum denuò adit, à quo blandè exceptus, jubetur lectum propius accedere, & ecce! ægrotus unò brachiò collum stringens juvenis, alterâ manu cultellum clanculò extractum gutturi tam fortiter infigit, ut mortuus ante lectum caderet struprator. ô si Christianus orbis plura tam exactæ Justitiæ cerneret etiamnum hodiè exempla, non fierent tot in domibus stupra, tot in Ecclesiis Sacrilegia! quæ olim vindex Deus non tantum in subditis peccatoribus, sed etiam in superioribus, talia crimina non debite vindicantibus, æternum puniet.

Considera 2. Quòd Moyse jam aliquoties Deo locutus, nun- N. 82.
quam causatus sit balbutientis linguæ imperitiam; Pharaoni verò
de

de mandato Dei locuturus conqueratur hunc defectum? siccinè promptior ei lingua ad colloquendum Deo Regi Regum, quàm homini? sed noverat Moyses Dei genium, cujus est opera potius, quàm verba spectare, præsertim in illis personis, quas destinavit regendis aliis: & hinc Summus Pontifex Sanctuarium ingressurus, non tantùm loquaces campanulas, sed etiam intexta mala punica jussus est ferre in vestitu suo: ut mandatò hòc monstraret Deus: se non solò Verborum & precum apparatu, sed vel maximè consortio malorum punitorum, piorum videlicet operum, recreari: eà de causa Moyses Deo factis potius, quàm verbis satisfactorius, debuit legem, quam verbò docuit, factò implere, proprium filium circumcidi procurans petrà acutissimà v. 24. hujus cap. *Psallite Domino in cithara & voce Psalmi*, admonet regius Propheta Psal. 97. hoc est: non solæ voces cantandò, sed & manus operandò laborent; *qui enim cantat, & operatur*, ait S. August. Serm. 222. de temp. *Psallit in psalterio & cithara*. Virgines factuæ exclusæ sunt à cœlestibus epulis, quia ostium linguâ, non verò manum pulsarunt, audite tantùm clamare: *Domine! Domine! aperi nobis*. Duo filii, qui per maternum os libellum supplicem Christo offerebant, hæc verba ferentem Matth. 20. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei &c.* ocius responsò tulere: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* primas nempe sedes, innuebat Christus, illis deberi, qui operibus, non tantùm verbis loquerentur. Mellissus Doctor notat de Virgine ter benedicta, ad summum honoris apicem inter homines omnes electa, illam quatuor solùm vicibus locutam. Primò, quandò respondit Angelo per verbulum *fiat*. 2. Quandò salutaverat cognatam Elisabeth per cœleste illud canticum *Magnificat*. 3. Quandò filium dolenter quæsitum reperit in Templo: illum alloquens: *Fili quid fecisti nobis?* 4. Demum, quandò in Nuptiis penuriam vini conquesta est, dicens: *vinum non habent*. Sed quis facta ejus numeret? quis virtutes, singulis horis exercitas commemoret? Respublica Atheniensium Palladi magnificum structura Templum, duos adhibuit artifices: quorum alter multis verbis peritiam artemque suam commendaverat, asserens: vidisse se Romæ Templum Pantheon, Ephesi Templum Dianæ, Delphis Fanum Apollinis. Hoc opere Doricò, illud Corinthiaco, aliud & Phrygiò elaboratum, in tantam molem, in tot calceos quodlibet excrevisse, tot columnis tot basibus instructum. Auditus diu insulsus blatero, ut tandem jussus est: futuri Templi

Templi rude saltem Schediasma delineare, in mensura & proportione multum hallucinebatur. Alter dein, qui differentem hætenus tacitus audierat, paucis arreptò carbone rem omnem scitissimè delineavit, hoc unicum locutus: *Ego faciam, quod ille dixit.* ò Christiane Lector! jam à tenera juventute vocatus es in artificem, exstruendi illius Templi, de quo meminit Apostolus 1. Corinth. 3. dicens: *Templum enim Dei sanctum est, Quod estis vos.* Sed malè vereor: ne primum imitans artificem, linguà valeas non manu, multa differens de spiritali hoc ædificio, pauca in eo, aut nihil operatus. Quare ne aliquandò à Templo Gloriæ excludaris, incipe hodie adhuc: illud *facere*, quod Christus Magister Magistrorum dixit, jussitque fieri.



FASCICULUS XIV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 5. lib. Exodi, in quo describitur Pharaonis durities & Tyrannis in populo laboribus oppresso &c.

Considera: **Q**uàm duram & servituti Ægyptiacæ non disparem N.83. servitutum agant homines, qui in res terrenas effusi Mundo inserviunt, de illis siquidem exclamat S. August. lib. Confess. c. 15. *Væ! anima audaci, que speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reversa, & in terga & in latera & in ventrem, & dura sunt omnia.* Quæso: quid laboris impendunt pulchritudinis suæ aut augendæ aut conservandæ studiosæ mulieres? quantum sudant dignitatum terrenarum æstu accensi aulici? quàm acerbis cogitationibus diu noctuque fatigantur lucri avidissimi mercatores? de his & cæteris omnibus verissimè dixeris, quod dictum de Israëlitis, in servitute Ægyptiaca detentis v. 12. citati cap. *Dispersus est populus per totam terram Ægypti ad colligendas paleas.* Quid enim divitiæ, honores & voluptates Mundi hujus, nisi meræ paleæ, res videlicet le-

villi-